

HWY-12-00000



KNY-18-00636

1

DIVVS IVO

IN ACADEMICA

S. SIGISMUNDI BASILICA

DICTIONE PANEGYRICA CELEBRATVS,

DVM

INCLITA FACVLTAS IVRIDICA
REGIAE VNIVERSITATIS BVDENSIS

CORAM S. P. Q. A.

EIDEM

DIVO TUTELARIS VO

ANNVOS HONORES

RITV SOLEMNI PERSOLVERET,

ORATORE

P E R ILLUSTRI DOMINO

J O S E P H O B E Ö T H Y,

Nob. Vng. e Comit. Bihariensi,

Iurium in alterum annum Auditore, ex Academia
Regia Theresiana.

Anno Salutis CIC. 10CC. LXX. VIII. Die 9. Mensis Junii.

B V D A E,

TYPIS REGIAE VNIVERSITATIS.

ANNO UT SVPRA.

ALLEGORIE A L'IMPERI
DU MARSHAL D'ANDECHS
PAR J. DE LAURENT
EDITION DE L'ACADEMIE FRANCAISE
PARIS 1770

KNY-18-00636





ORATIO.

Solet Diuinum, Optimumque, et Maximum Nu-
men pro infinita illa, qua in hominum genus
est, misericordia, et caritate, miris, diuer-
sisque modis eorum rebus consulere, & calamitates,
quibus integra nonnunquam Regna, ac Prouinciae
mirum in modum conflicantur, propulsare. Lo-
quuntur istud, ne quis dubitet, monimenta omnia,
annalesque gentium. Non est acceptor personarum
Deus. Suos ille Gentibus singulis mittit precones,
integritate morum, ac vitae sanctimonia illustres,
quorum opera, aut verae fidei lumine illustrentur, aut
a prauo viuendi instituto abducantur. Neque istud
nouum est. Idumaea Iobum, Chaldaea Abrahamum,
AEgyptus Moysēm, Orbis cataclysmo perditus Noe-
num habuit. Eandem experta felicitatem Britan-
nia est, hodie minor, olim Aremorica. Exultabant
passim vitia, caput insana morum licentia efferebat,
et impune per tribunalia fides venalis grassabatur.
Flebant, deplorabant sortem suam pauperes, ac
faxis

◎ ◎ ◎

saxis id erat queri, et scopulis. Nullum uspiam
egestati perfusum, nullum bonae causae erat pa-
trocinium. Cum ecce tibi repente nouum Genti
illi Diuina prouidentia fidus oritur, primam lucem
Diuus IVO, Tuus, Inclita Facultas Iuridica, Tutela-
ris sanctissimus, Patriae suæ, et orbis decus, iusti-
tiae, et religionis assertor insignis aspicit. Huic Tu-
hodie, Facultas Inclita, honores annuos ea, qua-
par est, religione, apparatu, et tenerimo animi
sensu reddis. Mihi eas detulisti partes, ut de lau-
dibus Sancti verba facerem. At unde potissimum
exordiar? vitam mihi vniuersam persequi neque li-
bet, neque angusti est temporis, ne Oratoris qui-
dem. Quid ergo? vox populi vox DEI semper
fuit. Istud est, quod amplecti mihi hodie placet.
Istud me cancellis, extra quos egredi Oratio non
possit, certis circumscribet. Quid ad laudem Diu-
i illustrius, quid ad commendationem sanctitatis dici
magnificentius potest, quam quod vniuersa de eo
sensit, dixitque Britonum peruetusta natio? Aduo-
catus pauperum, Presbyter sanctus eam apud gen-
tem illi nomen erat. Aduocati est tueri iustitiam,
Presbytero curandum omnibus viribus est quam di-
ligentissime, vt inuiolata stet religio. Fecit vtrum-
que Diuus IVO, atque ita quidem, vt iure optimo
vindex iustitiae, - vindex religionis dici possit. En-
Inclita Facultas Iuridica, geminum dicendi argu-
mentum, in quo hodie versari constitui.

Siquis est, qui forte miratur, quamobrem Di-
uus IVO, cum animum ad sacrum quoddam viuendi
in-

institutum adiecisset, tamen, ut vitae illius monumenta perhibent, decretales, librum institutionum, sententiarum, Ius Ciuale, et alia his similia sibi Aurelianensi in Vrbe perdiscenda sumserit, is si caussam cognouerit, vna et mirari desinet, et vel ex vno hoc facto, quantus in illo semper fuerit iustitiae amor, nullo negotio aestimabit. Non spes opum, non honorum, et dignitatum cupiditas, non ambitio hanc illi iniecit mentem. Nunquam ille per omnem vitam utilitatis suae, sed alienae rationem habuit. Nunquam illecebras, quasquas mundus offert, tanti esse putauit, vt quaerendae, aut expetendae essent. Sed nimirum fieri non posse arbitrabatur, vt quis integre, atque sine offenditione rebus in iis versetur, quas aequitas postulat, nisi omnes iuris apices teneat. Quam autem IVO mortem, quod supplicii genus non eligeret potius, quam vt vel tantula se iniustitiae labe commacularet? Studium aequitatis, amor iustitiae in hanc illum mentem impulit. Certum illi iam tum erat, deliberatumque, suam aliquando pauperibus, pupillis, viduis addicere operam. Itaque eo curas omnes, cogitationesque referebat, ne qua unquam aequitati plaga culpa sua iniiceretur. Quando autem maiora iustitiae timenda sunt vulnera, quam cum is, qui ad caussas accedit, scientia Iuris nonnisi quam leuissime aspersus est? quid ex his efficere velim, nemo, opinor, est, quin intelligat. Id scilicet: recte ne, an contra id consilii Diuus noster ceperit, ut in penitiores scientiae huius se penetret sinus? At fortasse, dicat aliquis, pulcre se

dant principia, praeclera Iuonis sunt consilia. Verum quid si consilium, quod cepit praeclarissime, metu, difficultateque rei vietus subito abiiciat? hoc qui vitae genus amplectitur, inquit Tullius, militiam solicitudinis, ac stomachi plenam sequitur: multum vigilandum, laborandum, multorum stultitia perpetienda, arrogantia perferenda, difficultas exsorbenda est. Nimirum parum iste virtuti Iuonis, quisquis est, tribuit. Scilicet is IVO est, qui vel leuissime impulsus de sua deiiciatur constantia, qui laborem omnem angue peius auersetur, nullisque instructus sit virtutibus, et armis, quae difficultati cuiusquis quoquis loco, et tempore obiiciat. Nefaria Oratio! quid ad ilias ineptias abis? remoueatur mihi omnis infania. O si reuiuiscat, et ante oculos nostros repente existat miserabilis illa pauperum, viduarum, orphanorum turba, cui salutem Diuus noster attulit, quam diuersa mens, quam diuersa esset Oratio! dicerent alii: hic ille est, per quem serenior nobis affulsi dies, huic fortunas omnes, facultates, felicitates referre in acceptis debemus. Hic nos iacentes, et potentiorum viribus abiectos erexit, a seruitute in libertatem vindicauit, luctu, et squallore perditos recreauit. Dicerent alii, columque, ac Superos obtestarentur: hic pater orphanorum, tutor pupillorum, perfugium, arx, portus, ara, anchora miserorum fuit. Quae non audiremus Diui praeconia, si vidua illa loqueretur, quam foeneratori cuidam, aut si vocem mitteret Richardus le Roux, pauper Nobilis, quem Abbati S. Mariae aduersario longe potentissimo victor eripuit?

puit? quid alios innumeros commemorem, et quis percensere, si maxime velit, numerando vniuersos possit, qui opem Diuini sensere hominis? id, puto, omnes sine vlla cunctatione, et tergivertione confiterentur: neminem vnamquam sauciorum, atque calamitosorum fuisse, qui modo opem illius implorarit, quin exoraret. Orandus autem IVO, vt miseros respiceret, et res vel labentes sustineret, vel lapsas erigeret? minime vero. Preces occupauit, vota anteuerit, vltro adiit, vltro compellauit, vltro opem, operamque obtulit. Scire aliquem miserum esse, satis Iuoni erat, vt auxilium acceleraret. Nemo vnamquam repulsus est, nemo prorumpere in haec verba necesse habuit: quid est IVO? mihi ne soli opera, misericordia, vox tua, quae omnibus profuit, non opitulabitur?

Sed est iterum, qui dicat: fructum certe quidem laboris
Sui amplissimum tulit. Audio. Reclamat monimenta omnia, negantque villam vnamquam vel minimam eum accepisse mercedem. Et quam tandem ab iis acciperet mercedem, quibus omnes quas habuit, facultates erogabat? a quibus in eum res illius adductae sunt locum, vt cum panes iis quodam tempore emere vellet, vendere equum; cum vestem peterent, iam tunicam corpori detrahere, iam tegumentum capitis opponere pignori cogeretur. Quid, quod Iudices ipsos saepe obsecrauerit, suisque precibus emolliuerit, impetraueritque, ne quid iis, quorum caussa agebatur, si egentiores essent,

◎ ◎ ◎

essent, pretii pendendum esset. Non quaestus, non aliud ullum commodum, sola Dei, et proximi caritas fecit, ut cum in discrimen res miseriorum adductae essent, nulla esset flamma, per quam non IVO curreret. Quantis saepe etiam oneratus est conuiciis, et opprobriis ab iis, quorum iniquam caussam in tribunalibus iugulauit? erat, qui illum coquum, sive hominem vilissimum, & nonnisi insimilis coquinæ ministeriis natum, vel Truanum, sive mendicabulum errabundum per insignem impudentiam vocitare non dubitaret. Quid ad has contumelias IVO? num conturbatus est? quis non continuo excandesceret? quis non vindictæ studio accenderetur? quis non caussas, ex quibus merces nulla, ludibria plurima sunt expectanda, illico desereret? ita quidem faceret, qui nihil veræ, solidaque virtutis habet. At in quo altissimas virtus omnis radices egit, in quo altior rebus humanis est animus, is contemnere ista nouit, admittere in animum non didicit. Risit Vir Diuinus, atque id unum reposuit: quiesce; caussam iustum defendi. Tua cum iusta fuerit, te defendam. Illud quoque memoriae proditum est, dixisse quemdam e testibus, cum de eo in Diuorum numerum adscribendo Roma ageret: nunquam eum irasci, vel quam levissime commoueri visum esse, nisi cum audisset, iustum aliquem proximo suo litem intendere. Tum vero non ante conquieuit, quam ad saniora hominem consilia reuocaret. Laudavi Virum, ut ego quidem existimo, aeiui sui integerrimum, et, nisi
mea



mea me fallit mens, toto in orbe iustissimum, laudavi oculum scientiae iuris.

Iam qua religione fuerit, videamus. Nam istud quoque Tibi perhonorificum est, Inclita Facultas, quod iustitiam non qualemcumque, sed cum insigni coniunctam religione desideras. Potest etiam barbarus esse iustus, nullo tamen religionem loco dicere. IVO ita iustitiam semper vindicauit, ut debitae Deo religionis nunquam obliuisceretur. Credo ego, neminem esse, qui nesciat, fieri perquam facile posse, ut, cum quis diuer-
sis se rebus implicat, non æquali in omnibus cu-
ra, ac diligentia versetur, praesertim si eiusmodi fuerint, ut magnam singulae industriam, studium singulare, operam indefessam requirant. Quid au-
tem laboriosius, quam Aduocatum agere, si quis hoc in munere eum se, quem oportet, exhibere velit? Presbyteri quoque ea est conditio, ut, si muneric sui partes omnes expleat quam exactissime, multas profecto eam in rem demere horas solido de die debeat, multas saepe etiam noctis horas vocare in auxilium. Quam praeclare vtrumque Diuus IVO coniunxit! quam praeclaro foedere sociauit! nimirum ut est perulgatum illud: ita vniuersa cu-
rat, tanquam si vacet a singulis; ita singula, tanquam si vacet ab vniuersis. Quid de Iuone dice-
mus rectius, quam: ita Aduocatus est pauperum,
tanquam si nihil illi agendum esset aliud; ita Presby-
ter, ut nihil aliud, quam hoc. At enim neque illud, neque hoc sine sudore plurimo, labore, mole-
stiis,

❀ ❀ ❀

stiis, et vigiliis. Nemo istud mirabitur, cui, quae fuerit Iuoni viuendi ratio, exploratum est. Certe nullum ab eo praetermissum fuisse officium Presbyteri Sancti monumenta omnia, testes innumeri, iisque Synchroni docent. Sacrificium praeterquam quod nunquam nisi aut itineris, aut morbi molestiis praepeditus negligeret, tanta religione, tam tenero pietatis sensu obtulit, ut lacrymis plerumque uberrime effusis colliqueceret. Humus illi lectus, et arctiora somni fere, quam noctis erant tempora. Quid reliqua omnia referam, quae religionem illius summam erga Deum commendant? plura ea sunt, quam ut vllis concludi angustiis possint, et ex paucis saepe, quis, quantusue aliquis sit, cognosci potest. Itaque praetermittam ardentissimum illud, quo incensus erat, proferendae Diuinae gloriae studium; nihil a me vllus audiat de cura illa, ac sollicitudine diurna, nocturnaque, qua cauit, ne quis scele re vlo supremum Numen laederet. Sileatur de insigni illa laboris patientia, quae tantum in eo potuit, ut vno, eodemque die quam saepissime tribus in locis non exiguo disiunctis interuallo Verbum Diuinum annunciat. Lateat illud etiam, per me licet, quod omnes de eo annales praedicant (non enim vereor, ne iniurius sim Sancto, cuius summa semper erat demissio animi) lateat, inquam, illud etiam, quod, postquam Iuo praedicare cepit gentibus patriae sua, *meliores factae sunt, quam ante, in duplum* (dico barbare, quod vita refert barbare) sed quid ad commendationem Sancti dici illustrius

◎ ◎ ◎


potest? vniuerse loqui me rerum praecclare gestarum multitudo cogit, singularia lucentur historiae. Illis quoque sius, in quo excurrant, debetur campus. Illud quidem magnum etiam fortis animi est argumentum, quod praeterire silentio minime possum. Ea Britanniae temporibus Iuonis erat conditio, ut ne sacrae quidem res satis tutae essent. Quo factum est, ut noctes quam plurimas in Ecclesia Diuus noster insomnes duceret, ne quid auerti a quoquam posset. Cum vero violentas quis in bona Ecclesiae inieciisset manus, non tulit id IVO, et vel e manibus extorsit. Fidem huius rei inter ceteros facit Thesaurarius ille, vir potens, qui, cum Sanctus ei praedam iniustum eripuisset, plurimis in illum inuestitus est conuiciis. Quid IVO? Tu quidem, inquit, dices, quicquid Tibi libuerit; ego vero, quantum potero, Iura Ecclesiae toto vi-
tae meae tempore defendam.

Quid pluribus opus est, Inclita Facultas, Tuum vt
Tutelarem Sanctissimum agnoscas? sunt Aduocati
multi, multi sunt Presbyteri, sed vtrumque quis? et
quod amplius, qualis IVO quis? Quidquid sit, Te lau-
dare satis, Inclita Facultas non possum; quod eum Ti-
bi Patronum elegisti, in quo summus iustitiae amor
cum summo religionis coniunctus sit studio. Non
nouum est, quod facis, solemne Tuum retines,
retineasque, precor, si modo felicitatem Tuam
amas, semper. Perge quod adhuc fecisti, honores
illi annuos non vulgari pietatis sensu reddere, red-
det

det ille tibi omnia cum foenore. Ama iustitiam, religionem tuere. Fuit ille vindex iustitiae, vindex religionis in terris, quid ni multo magis mentes inter Coelestes?

D I X I.





◆ ◆ ◆

det ille tibi omnia cum foenore. Ama iustitiam
religionem tuere. Fuit ille vindex iustitiae, vind
religionis in terris, quid ni multo magis men-
tes inter Coelestes?

D I X I